RMK. I.
RMK. I.
1187.
RMK. I.
RMK. I.
1187. c

Hippoteo Joan.
collatio [illegible]

RMW I. 1187c.

RMK I. 1187 c

COLLATIO PHILOLOGICA
In

EPISTOLAM PAULI AD TITUM

Quam,

HORVÁT ISTVÁN KÖNYVTÁRÁBÓL

M. N. MUZEUM KÖNYVTÁRÁBÓL

Sapientiæ Spiritu auxiliante
SUB PRÆSIDIO
Viri Clarissimi,

DN. JOHANNIS HIPSTEDII,

Histor. Orat. & Gr. Ling. P. P. & Biblioth. Præceptoris & Promotoris sui maximè colendi,

Publicè pro virili defendere sataget

DIDERICUS FARVER Brem.

Ad diem 22. Julii, horis locoq; solitis.

BREMÆ,
Typis Hermanni Braueri, ibidem illustris Gymnasii Typogr.
ANNO M DC LXXVI.

VIRO. MAGNIFICO. NOBILISSIMO. AMPLISSIMO. CONSULTISSIMO.

DN. JOHANNI HARMES. JCTO. EXCELLENTISSIMO. RFIP. PATRIÆ. CONSULI. GRAVISSIMO. SCHOLARCHÆ. MERITISSIMO.

UT. ET.

VIRIS. MAGNIFICO. PLURIMUM. REVERENDIS. CLARISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS.

DN. GERHARDO. MEIERO. S. S. THEOLOGIÆ. LICENTIATO. ET. P. P. CELEBERRIMO. ILLUSTRIS. GYMNASII. BREMENSIS. RECTORI. VIGILANTISSIMO.

DN. JOHANNI HIPSTEDIO. HISTOR. ORAT. ET. GR. L. P. P. SOLIDISSIMO. BIBLIOTHECARIO. SOLERTISSIMO.

DN. DIDERICO. SAGITTARIO. POESEOS. P. P. INGENIOSISSIMO. PÆDAGOGEARCHÆ. DIGNISSIMO.

NEC. NON.

REVERENDO. HUMANISSIMO. DOCTISSIMOQUE. VIRO.

DN. LAURENTIO. ROHTBAHR. SECUNDÆ. TERTIÆQUE. IN. PÆDAGOGEO. BREMENSI. CLASSIUM. PRÆCEPTORI. FIDELISSIMO.

DN. DN. COGNATIS. MÆCENATIBUS: PATRONIS. ET. STUDIORUM. MEORUM. PROMOTORIBUS. OMNI. OBSERVANTIÆ. GENERE. DEVOTE. COLENDIS. COLLATIONEM. HANC. SACRAM. FACIO.

DIDERICUS FARVER. RESP.

COLLATIO PHILOLOGICA IN EPISTOLAM PAULI AD TITUM

Argumentum Epistolæ & Partes.

TItum *natione Græcum Paulus ad Christum converterat*, (*Gal. II.3.*) *& socium secum assumserat in ministerio Verbi, & diversis functionibus sacris probatum* (Vid: 2. Cor. II. 12. 13. VII. 14. VIII. 23. XII. 18. 2. Tim. IV. 10.) *constituerat ipsum Episcopum in insula Creta. Hunc proinde hic informat in diversis officii Episcopalis partibus; insertis passim rationibus ab ipsis fundamentis doctrinæ Christianæ.*

Partes *Epistolæ generales tres sunt. I. Exordium epistolare. II. Tractatio seu informatio, diversa continens capita. III. Conclusio familiaris.*

Analysis.

CAP. I.

A. Exordium Epistolare *habet*

I. Superscriptionem Authoris: cujus notetur 1. Nomen. 2. Officium communne & speciale, quod commendat ab eminentia objecti seu doctrinæ Euangelii; quòd sit illa

a. *Conformis fidei electorum.*

b. *Verax & tendens ad pietatem vs. 1.*

c. *Generans spem vitæ æternæ divinitus promissam ac suo tempore patefactam.. vs. 2.*

d. *Verbum Dei præconio Apostoli publicatum vs. 3. p. 1.*

II. *Inscriptionem cum encomio Titi vs. 3. p. 2.*

III. *Votum: Vide 1. quid? 2. à quo voveat vs. 4.*

B. Tractatio *seu informatio diversa continens capita: videl:*

I. *De officio Titi in ordinanda ecclesia & constitutione Ministrorum: Vide*

1. *Intentionem Pauli, cur in Creta Titum reliquerit? nempe*

a. *Ut reliqua ordinet.*

b. *Ut constituat per urbes Seniores vs. 5:*

2. *Monelam de requisitis seu dotibus Presbyterorum, ubi*

a. *Exponit requisita Episcopi, 1. in se. 2. in matrimonio, & 3. in familia & liberis vs. 6.*

b. *Subjicit rationem ab officio Episcopi, quippe qui œconomus Dei. Hinc porrò docet*

α. *Qualis non esse debeat, vs. 7.*

β. *Qualis contra esse debeat*

α. *In moribus vs. 8.*

β. *In doctrina*

1. *Erga fideles vs. 9. p. 1.*

2. *Erga adversarios. vs. 9. p. 2.*

Posterioris membri rationem addit

I. *A perversis moribus fallorum doctorum vs. 10 qui confutandi. vs. 11. p. 1.*

II. *A periculo seductionis metuendo vs. 11. p. 2. quod probat 1. Testimonio proprii Poëtæ vs. 12. 2. Sua adstipulatione. vs. 13. p. 1.*

c. *Concludit adhortatione ad Titum, ut tales severè redarguat: additâ*

α. *Ratione à sperato effectu in Cretensibus vs. 13. p. 2. & vs. 14.*

β. *Illustratione à prolepsi, distinguendo inter puros & impuros, & impuritatem corporalem & spiritualem vs. 15. 16.*

Cap. II.

II. *Præceptum de officio Titi circa diversas personas in cultu spirituali informandas: Hic est*

a. *Præceptum generale vs. 1.*

b. *Præcepta specialia, quid Tito agendum*

α. *Circa ætate provectiores*

α. *Mares vs. 2.*

β. *Fœminas: (1) Quales ipsæ esse debeant. vs. 3. p. (2) Quomodo iuniores informare debeant vs. 3. p. 2. & vs. 4. 5. p. 1. rationem addit vs. 5. p. 2.*

β. *Circa ætate juniores; (1) ut sint temperantes vs. 6. (2) ut ipse illis se exemplum præbeat, tum in vita tum in doctrina; addita ratione à confusione adversarii. vs. 7. 8.*

γ. *Circa servos: ubi vide*

α. *Monitum. 1. affirmatum. 2. negatum. 3. rursus affirmatum vs. 9. 10. p. 1.*

β. *Rationem moniti vs. 10. p. 2.*

c. *Ratio generalis omnium horum monitorum à gratia Dei omnibus hominibus exhibita. Nota gratiæ huius*

α. *Apparitionem: & quidem*

α. *Qualis illa apparitio?*

β. *Qualis illa gratia?*

γ. *Quibus facta? vs. 11.*

β. *Informationem seu intentionem hujus gratiæ:*

α. *Ad abnegandam impietatem & mundanas cupiditates.*

β. *Ad temperanter, justè, piè, vivendum. vs. 12.*

γ. *Ad expectandum adventum Christi Servatoris vs. 13.*

γ. *Causam meritoriam Christum: Vide*

α. *Quis tradiderit illum?*

β. *Pro quibus?*

c. *Quo fine? videl: 1. ut redimeret. II. ut mundaret vſ. 14.*

Cap. III.

III. *Monita ad Titum de officio omnium & ſingulorum. Vide*

I. *Monita ipſa, ut moneat*

a. *Obedire poteſtatibus. vſ. 1.*

b. *Neminem blasphemare.*

c. *A pugnis alienos & manſuetos eſſe. vſ. 2.*

2. *Rationem moniti,*

a. *A deſperato ſtatu præterito. vſ. 3.*

b. *A felici contra ſtatu præſenti; quem deſcribit καθ' ἐπιμονὴν*

α. *A cauſa προηγουμένῃ, bonitate & philanthropia Dei vſ. 4. quam illuſtrat 1. κατ' ἄρσιν. II. κατὰ θέσιν.*

β. *A cauſa formali, ἔσωσεν ἡμᾶς.*

γ. *A cauſa inſtrumentali ſeu applicante, quæ eſt lavacrum regenerationis & renovatio Sp. S. vſ. 5. 6. p. 1.*

δ. *A cauſa meritoria vſ. 6. p. 2.*

ε. *A cauſa finali vſ. 7.*

c. *A certitudine, veritate ac fructu horum omnium vſ. 8.*

IV. *Monitum ſpeciale ad Titum,*

1. *Ut fugiat ſtultas quæſtiones & rixas legales, addita ratione ab illarum vanitate. v. 9.*

2. *Ut vitet hæreticum poſt unam atque alteram admonitionem; addita ratione ab ipſius perverſione & αὐτοκατακρίσει vſ. 10. 11.*

C. *Concluſio epiſt: familiaris iubens*

I. *Ut ad ipſum veniat v. 12.*

II. *Ut Zenam & Apollum viatico inſtruat: addito, ut fideles diſcant benefacere; addjecta ratione vſ. 13.*

III. *Addit Salutationes mutuas & votum ordinarium. vſ. 14.*

Eon-

Enodatio Textus.

vſ. 1.

δοῦλος καὶ ἀπόστολος] Prius obedientiam ac laborem; poſteriùs auctoritatem & fidem notat, qua officium ſuum exſequitur: prius onus eſt magis, poſterius honos. *Nota.* Δοῦλος, aliàs ſtatum notat ſervilem, *mancipium ſc.* & opponitur τῷ ἐλευθέρῳ *libero*: aliàs munus & laborem, idem quod ἀλάκριτος, ὑπηρέτης. Notat aliquando etiam animum nimis ſerviliter abjectum. *1. Cor. VII, 23.*

Κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεῦ. *Secundùm fidem electorum Dei*) ſecundùm illam fidem quæ electis omnibus communis & propria eſt vſ. 3. Addit hoc ut pateat, non diverſum à Moſe aut Chriſto ſe docere, ſed in omnibus unanimem conſenſum eſſe, in veritate, pietate, & præmio. *Vide Bezam.* Num talis jactata Pontificiis fides Catholica?

Τῆς κατ' εὐσέβειαν] Ita diſtinguit ſacram hanc ἐπίγνωσιν à mundana; quæ inflat & vana eſt, imò ſtulta. 1 Cor. III. 19. VIII. 1. Hæc verò ædificat & proficit ad pietatem.

vſ. 2. Ἀψευδὴς θεὸς, *Qui non mentitur*; Vulg. *mentiri neſcius*; Piſcator: *qui non poteſt mentiri*; Diodat: ita & Belgæ אל נאמן videlicet, in quo non tantùm eſt ἀψευδεία, veritas immota, ſed & à cujus natura mendacium & fallacia penitus aliena ſunt. *Deus enim lux eſt, in qua nullæ ſunt tenebræ. 1. Joh. I. 5.* ψευδήγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμαθίον. Æſchyl. *mentiri neſcit os divinum.* Summæ perfectionis eſt, imperfectionis in capacem eſſe: ἀρνῆσαι ἑαυτὸν ὀ δυνάται *2. Tim. II. 13.*

Πρὸ χρόνων αἰωνίων] ita & 2. Tim. I. 9. *Ante tempora ſecularia*, ſeu *ſeculorum*, ut Beza, Diod. *Ante tempora æterna*, Eraſm.

Eraſm. Sed tempora dicere æterna eſt contradictio in adjecto. Tempus enim eſt menſura ſecundùm prius & poſterius, quod in æternitate non eſt, ubi ſimultanea, immota & ſtata duratio eſt: quæ quando per motum cœli & corporum cœleſtium ſecatur & numeratur ſecundùm prius & poſterius veluti per partes, tempus dicitur. Ceterum *promiſiſſe* dicitur Deus *vitam æternam ante tempora ſecularia* ſu *ſeculorum*, hoc eſt decreviſſe promittere ſuo tempore ſeu *promiſiſſe* in æterno decreto: ſic 2. Tim. I. 9. dicitur Deus *dediſſe nobis vitam æternam in Chriſto*, videl: in æterno decreto ſuo, ſeu decreviſſe dare: ita ex Auguſt: Beza hic. Vel, *ante tempora ſecularia*, exponi poteſt; ante fluxum tot ſeculorum, inde à rerum initio, ubi prima gratiæ promiſſio facta eſt. Vide Piſcat: hic. Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, οὐκ' γενεῶν ἀρχαίων *Act XV. 7. 21.* Belg: eer men eenwen begonde te teſſen. *In initio ſeculorum*, Coccejus.

Καιροῖς ἰδίοις, temporibus propriis] certis & determinatis videl: ἐν πληρώματι τῶ χρόνῳ. *Gal. IV. 4.* Sed quia dicitur in plurali καιροῖς ἰδίοις, præſtat verbum, *promiſit*, exponere de decreto promiſſionis æterno, & φανέρωσιν, *manifeſtationem*, *temporibus propriis*, intelligere de diverſis manifeſtationibus, ante, ſub, & poſt Legem fidelibus factis.

vſ. 3. Τὸν λόγον αὐτῶ,] Supplent interpretes: *videlicet ſermonem ſuum*, id eſt *promiſſionem illam ſuam*, ita *Beza* & *Piſcator*. הדבר *Verbum*, decretum illud. *Diodati* aliter diſtinguit & novam periodum inchoat à verbis: manifeſtavit verò prop. temporibus verbum ſuum. Ita & *Syrus*, qui etiam hæc verba, τὸν λόγον, præponit vocibus, καιροῖς ἰδίοις: Verùm contra fidem meliorum codicum; quod, notante Beza, violentum eſt. Præſtat g. cum Beza & Piſcatore verba, τὸν λόγον, connectere cum ſuperioribus per appoſitionem, quòd propriis ſuis temporibus manifeſtaverit verbum ſuum in; ſeu per

per præconium publicum, ὅ ἐστι φανερῶς καὶ μετὰ παῤῥησίας, Chryſ. oppoſitè ad V. T. ubi innotuit in ænigmate & umbris. Conf. *1. Tim. II. 6.* τὸ δὲ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις.

Τῶ Σωτῆρος ἡμῶν θεῶ] *Servatoris noſtri Dei*. Quando Deo Patri hæc vox Σωτὴρ tribuitur, notatur *conſervator* rerum omnium. conf. *Cap. II. 10. 1. Tim. I. 1. II. 3. IV. 10.* Ita Σωτὴρ πάντων dicitur Deus, *conſervator omnium Ariſtot: de Mundo c. 5.* Dicitur etiam Σωτὴρ ἡμῶν, quia ſervavit nos per Chriſtum. Chriſto verò cùm tribuitur, notatur, *quòd ſervaturus ſit populum ſuum à peccatis ſuis. Matth. I. 21.* Unde κατ' ἐξοχὴν *Servator* dicitur *Tit. I. 4. II 10. 13. III. 6. &c.* Unde & proprium nomen *Jeſus* ſortitus eſt. *Matth. I. 21.* Servator, qui ſuos aſſeruit, tanquam ἀγχιστεὺς & *proximus agnatus*.

Κατὰ κοινὴν πίστιν] *Communem fidem* vocat, quæ Tito cum Paulo, & utrique cum tota Eccleſia & electis Dei Judæis & gentibus communis eſt. Ita auctoritatem aſſtruit Euangelio ſuo coram tota Eccleſia Cretenſi; quippe Eccleſiæ prælegi ſolebant Epiſtolæ Apoſtolicæ. *1. Theſſ. V. 27.*

vſ. 4. Ἐν κρήτῃ] *In Creta* Vulg: *Cretæ*. Inſula eſt in mari Mediterraneo, inter Aſiam & Græciam minoribus inſulis prætenſa; ἑκατόμπολις, jam Candia dicta; non optimæ notæ: *Vid. h. Cap. vſ. 12.* Unde κρητίζειν *mentiri*; κρητισμὸς, *verſutia*, *impoſtura*; συγκρητίζειν, συγκρητισμὸς *conſpiratio ob imminens periculum. Vid. Chiliad. Eraſm.*

Ἐπιδιορθώσῃ] *ut corrigas*, potiùs *inſuper corrigas & perficias*. Notatur enim juxta Chryſoſtomum πλείων κατάρτισμος, *plenior perfectio*.

vſ. 5. Πρεσβυτέρους] זקנים *ſeniores*, *presbyteros*. Ita dicuntur omnes, qui docent vel præſunt in Eccleſia, ita ut paſtores & Epiſcopi etiam hac voce comprehendantur, *argumento vſ. 7. & 1. Tim. V. 17.* quin & ipſi Apoſtoli *2. Joh. 1. & 3. Joh. 1.* οἱ πρεσβῦται Juſtino Martyri. Ceterum Titus conſtituis

tuit illos non sua tantùm auctoritate, sed ex consensu Ecclesiæ: *argumento Act. XV. 23. VI. 3. &c.*

vl. 6. Ἀνέγκλητος] *Inculpatus*, de quo non sint querelæ publicæ aut privatæ, nec etiam jure institui queant, in quo non est ἔγκλημα, qui non potest ἐγκαλεῖσθαι, in jus vocari: *Erasm:* ἀνεπίληπτος *1. Tim. III. 2.*

Μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ] *Unius uxoris vir.* qui non sit bigamus, quales tunc erant inter Judæos & Asiaticos; itemq; qui non repudiarit uxorem legitimam & duxerit aliam, quod Legibus Rom: tunc permissum. Not. *Grotius* & Salmasius accipiunt etiam de digamia successiva, juxta *Clementem Alexandrinum & Tertullianum*, secundis nuptiis adversos. Verùm contra Apost: *1. Cor. VII. 8. 9.* qui viduis sine discrimine æquè ac virginibus conjugium permittit. Putant quidem dicti Auctores, incontinentiæ notam esse, transire ad secunda vota; sed possunt etiam esse aliæ rationes œconomicæ; & τὸ πυρδοῦσθαι & incontinentia etiam in ἀγάμοις grassari potest *1. Cor. VII. 9.* Locus interim hic evidens contra cœlibatum Pontificium: nec tamen etiam præceptum est, quasi necessariò uxorati esse debeant, sed res ἀδιάφορος est. Neque enim status vitæ nos commendat Deo, sed fides & vita Deo digna, sive in conjugio, sive in cœlibatu.

Τέκνα ἔχων πιστὰ] Ne alios docens, suos & institutionem domesticam neglexisse videatur; aut monenti alios, propriæ domus ἀπαξία objici queat.

Μὴ ἐν κατηγορίᾳ (i. e. αἰτίᾳ) ἀσωτίας] *non in prædicamento*, seu accusatione & culpa, *intemperantiæ*, luxus ac prodigalitatis; ut de filio prodigo dicitur ζῶν ἀσώτως, *vivens prodigè*, sua dissipans; *accusati de dissolutione* Diodat: In Ecclesiasticis hoc magis prohibitum; quia aliàs gravatur & diffamatur Ecclesia. Hinc occasio primitus fuit invecti cœlibatus in Ecclesi-

clesiam: ne crescente familia in primæva ista paupertate oneraretur nimium Ecclesia.

Ἀνυπότακτοι] Vulg. *Non subditi*; Erasm. *Intractabiles*; Beza *Refractarii*; Metaph. est à bobus jugum, aut equis frenum detrectantibus: quod facilè Ecclesiasticis accidere potuit ob continuas tunc ipsorum occupationes; ubi modò cum gentibus, modò cum hæreticis, semper cum afflictis variis calamitatibus ipsis res fuit: unde facilè negligi poterant liberi & res œconomica.

vs. 7. Ὡς θεοῦ οἰκονόμον] *Tanquam Dei œconomum* seu τῶν μυστηρίων θεοῦ. *1. Cor. IV.* qui uti sacra Dei mysteria tractabat, ita & bona Ecclesiæ sibi commissa habebat. Neque enim fundi tunc erant & stati reditus Ecclesiæ, sed ex eleemosynis & muneribus, Episcopis transmissis curabantur indigentes. *Vid. 2. Cor. VIII. & IX.*

Μὴ αὐθάδη] *Non obstinatum*; *non superbum* Vulg: præfractum, Erasmus; Rectiùs Beza & Piscator, *non sibi pertinaciter placentem.* Diodat. *Non di suo senno*; qui suum tantùm sensum sequitur; Gallus; *Non adonné à son sens*; *Belgæ*, die syn Hooft alleen volgen will / en neemand wyken. Αὐθάδης. q. ἑαυτῷ ἀνδάνων, sibi placens, suo sensu abundans, sapiens in oculis suis, ut Salomon vocat. Αὐθάδεια enim vitium est, quo quis nimium sibi placet, *morositas*, *obstinatio.* *Plato* τὸν αὐθάδη vocat τὸν ἐρημίας ξύνοικον, *solitudinis socium*: Unde *Eurip.* οὐδ' ἄν ἐπαινήσειεν ὅστις αὐθάδης γεγὼς, *non laudaverit civitatem qui* αὐθάδης *natus est.* Tales verò mores illi, qui aliorum salutem curare, mœstos ac desolatos consolari debet, minimè conveniunt, qui cum Paulo *omnia potiùs omnibus fieri* debet, *ut ex omnibus aliquos lucretur.*

Μὴ ὀργίλον] *non iracundum*; ὁ ταχέως μὲν ὀργίζεσθαι, καὶ οἷς οὐ δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ εἰδεῖ. *Arist. 10. Ethic. qui subitò ira-*

irascitur, & quibus non oportet, & de quibus non oportet, & plus quàm oportet.

vſ. 8. Ἀλλὰ φιλόξενον] *Sed hospitalem.* Quia exules pauperes crebri erant, qui ad Epiſcopos ſe primò recipiebant, probantes ſe illis, & cauſam fugæ paupertatisque explicantes. Unde lautiores reditus poſtmodum Epiſcopis, quò ſolatio eſſe poſſent afflictis: quos deinde ſequior ætas vertit in luxum & ſplendorem mundanum.

φιλάγαθον] *Bonorum amantem*, Beza. Minùs commodè Vulg: *benignum.* Syrus: רַחֵם טָבָתָא, h. e. *amantem bonitatis ſ. boni*, & Eraſm. *bonarum rerum amantem.* Licèt neminem facilè repellere aut negligere debeat, tamen præcipuo amore & cura recipere debet bonos, *Gal. 6: 10.*

Ἐγκρατῆ] *Continentem*; Semivirtus Philoſopho tantùm eſt ἐγκράτεια, colluctans adhuc cum vitio contrario: at ita hic non accipitur; ſed illam virtutem notat, quæ continet ſe etiam in relicita, vitans ſollicitè exceſſum.

Σώφρονα] *Temperantem*, ſobrium; *moderatum* & circumſpectum; *cui mens ſana.*

vſ. 9. Ἀντεχόμενον] τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου) *Tenacem fidelis iſtius ſermonis, qui eſt ſecundùm doctrinam, (amplectentem* Vulg:) *ſermonis, qui ad doctrinam facit* Beza, h. e. qui verè accommodatus eſt ad erudiendos, ſeu ut Petrus loquitur, ad ædificandos auditores, ut idem explicat. Senſus clarus eſt: Epiſcopum ſeu Doctorem Eccleſiæ debere ſtrictè addictum eſſe verbo veritatis à Sp. S. per ſanctos Dei viros tradito; & quidem non ad λογομαχίαν & ἐρίθειαν, ſed ad docendum. Ultimus enim terminus, uti in doctrina, ita & in controverſiis fidei, eſt πιστὸς ille λόγος, *fidelis ille ſermo* & omni exceptione major per authenticos autores nobis relictus: ab eo ſi diſcedatur, in lubrico fides eſt. Scopus verò verbi Dei eſt *doctrina* & ædificatio in fide & pietate; unde *ſupra*

1. 1. dixit ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν; *Conf. & 1. Tim. VI. 3. Et hic vſ. 9.* vocat διδασκαλίαν ὑγιαίνουσαν, *doctrinam ſanantem*, animam ſc: per fidem & virtutes Chriſtianas.

vſ. 10, Ἀνυπότακτοι) *Inobedientes*, qui non obediunt Euangelio, ut loquitur Ap. *2. Theſſ. 1. 8.*

φρεναπάται) *Seductores* מתעים *Eſ. IX. 15.* πλανῶντες καὶ πλανώμενοι. *2. Tim. III. 13.* Verbum inde φρεναπατᾶν, *ſeducere Gal. VI. 3.* q. d. *mentem decipere.*

vſ. 11. Ἐπιστομίζειν) *Obturare os*, injecto ἐπιστομίῳ ſeu obturamento; propriè; deinde eſt reprimere, refellere loquentem, ἐπέχειν λέγοντα, ut Pollux; φιμᾶν, quod eſt fiſcella obturare, uti bobus & ſævis animantibus ſolet 1. Cor. IX. 9. Metaphoricè itidem *refellere* paſſim. Non exprimit hic vim verbi Vulg. redargui vertens, quod eſt ἐλέγχειν.

vſ. 12. Ἴδιός τις αὐτῶν προφήτης) Epimenides poëta; quos ipſi vates ac prophetas habebant & dicebant, præcipuè hic Epimenides, *ut ait Cic. de divin. & Laërtius* ait hunc ipſum γνωστικὸν γεγονέναι τοῦ δεινοῦ τὰ θεῖα, *polluiſſe ipſum vi videndi futura*, in quantum ſc. Deo permittente aut revelante malus genius ſuggerere poterat. *Vid. Martyrem in Loc Comm. Wierum aliosq. de præſtig. Dæm. & Bezam hic & Grotium.* Hinc dictum; *Non fingunt omnia Cretes. Vid. & Heinſii Exercitat: hic.*

Ἀποτόμως) *Præciſè*, rigidè, ſeverè, quaſi ad vivum reſecando: inde ἀποτομία, *ira præciſa. Rom. XI. 22.*

vſ. 13. Ἵνα ὑγιαίνωσιν) *Ut ſani ſint* in fide, non foventes hæreticum aliquid, aut evertens fundamentum & genuinam fidei εὐκρασίαν. *Sana fides eſt*, quæ Chriſtum unicum Sacerdotem, Doctorem, rectorem & exemplum amplectitur.

vſ. 14. Ἰουδαϊκοῖς μύθοις) Quales ſunt de Meſſiæ regno terreno, de reſurrectione in hac vita, de Gog & Magog, de Behemoth, Leviathan, &c. Vid. Buxtorff. Schol. Judaic. Hærent in cortice externo Judæi, quia nucleum unicum fi-

dei rejecerunt, qui Chriſtus eſt, & paſcuntur paleis vanarum cogitationum ſuarum, quia verum frumentum & τὰ βαρύτερα τῆς νόμου, *graviora legis* negligunt: ab illis quicquid abluit, illud labefactat fidei ſanitatem.

vſ. 15. Πάντα καθαρὰ καθαροῖς) *Omnia*, ſcil. illa, quæ adiaphora, impuritate Levitica & ceremoniali ſub Lege notata erant, *pura ſunt*, licita & permiſſa fidelibus, qui per Chriſtum liberati ſunt à jugo Moſaico, *Act. XV. Col. II.* adeoque *puri* ſunt purgatione peccatorum factâ per ſanguinem Chriſti, & ſecutam hinc illuminationem & ſanctificationem per Chriſti Spiritum *Rom. XIV. 20.*

Τοῖς δὲ μεμιασμένοις) *Pollutis verò & infidelibus*, h. e. qui in ſe peccatores ſunt, nec per fidem purgati à peccatis; *illis nihil purum eſt*; uti vas impurum omnia inquinat; ita & *inquinata* ipſorum *mens* & *conſcientia* polluit omnia. Mens quippe excœcata & perverſa eſt, & falſa ſuggerit principia, & hinc etiam conſcientia malè colligit & judicat de proprio facto ſuo. Si igitur reliqua quæ in ipſis lux, mens & conſcientia, quam Deus tanquam monitorem & teſtem perpetuum reliquit in homine, tenebræ; quid de tenebris ipſis, reliquis hominis affectibus & facultatibus ſtatuendum? argumento *Matth. VI. 23.* uti arguit & verſus ſeq.

vſ. 16. Θεὸν ὁμολογοῦσιν εἰδέναι) *Deum profitentur*, jactant ſcire ſe; creatorem cœli & terræ, ſanctum, ſeverum, judicem omnium, *factis verò negant*, quia interim ſecurè peccant; adeoque eſſe ipſum, vel talem eſſe negant. Conf. *Rom. II. 21. ſq.*

Βδελυκτοὶ) *abominabiles*, fœdi fœtidique, à βδέω Pedo, fœteo. Tales cùm ſint in ſe, accedit & ἀπείθεια, inobedientia, quòd recta monentes non audiant aut ſequantur: unde ſequitur ἀδοκιμασία, mens reproba, quæ inter vera & falſa, bona

bona & mala, pura & impura rite diſtinguere nequit. Conf. *Rom. I. 21. ſeq.*

CAP. II.

vſ. 1. ὑγιαίνουσα διδασκαλία) *Sanans doctrina* dicitur, quia ſana, integra ac incorrupta eſt in ſe, & ſanat animam. *Pſalm. XIX. 8.* & manuducit ad fidem & pietatem; ſecus ac doctrina ſeductorum, quæ pervertit audientes, *Cap. I. 11.* ædificat ad impietatem & ſerpit vaſtatque inſtar gangrænæ *2. Tim. II. 16. 17.*

vſ. 2. Ἱδς πρεσβύτας) *ſenes*; de ætate hic accipendum, *argumento vſ. 4. 5.* Hos vult eſſe νηφαλίους, *ſobrios*; quia ætas illa aridior vini potusque ſolet eſſe avidior.

σεμνὸς) *Venerabilis*, gravis; quæ virtus illam ætatem maximè decet. Exemplum *vid. Job. XXIX. & ſq.*

vſ. 3. ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς) *In habitu qui ſanctimoniam deceat*; Gallus; *d'une contenance convenable à ſainteté*; ita ut non *veſtitum tantùm, ſed et geſtum, inceſſum, omnemq; corporis compoſitionem ſignet*, ut rectè Gaignæus.

Μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας) *Non vino multo ſervientes* Vulg. ſeu addictas. Conſuetudo homines ſervos facit; *Joh. VIII. 34. 2. Petr. II. 19.* ᾧ γὰρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. *Merobibas, multibibos* tales vocat Plautus.

Καλοδιδασκάλους) *Bona docentes*, in privata ſcil: converſatione bona loquantur, non calumnias & criminationes aliorum; ad quas debilior ſexus ſua curioſitate facilè declinat. Publicè enim docere fœminis non permiſſum *1. Cor. XIV. 3. 4. 1. Tim. II. 12.*

vſ. 4. Ἵνα σωφρονίζωσι) *Ut ſapere doceant.* *Beza* rectiùs quàm *Vulg. Ut prudentiam doceant*; generaliter enim hic verbum accipitur de inſtitutione in bono quocunque. *vſ. 3. & hîc verſ. 4. 5.*

φιλάνδρους) *Mariti amantes.* Τοῦ ἰδίου ἀνδρός vſ. 5. Aliàs in vitio hoc.

vſ. 5. Οἰκουροὺς) *Domi manentes*; Beza; *domus curam habentes*, Vulg. *Domus cuſtodes*, Fraſmus, Italus & Gallus. Οἰκουρέω, *eſt Domi me contineo, Curo rem domeſticam.* Contrarium in fœmina eſt, diſcurrere per domus, περιεργᾶν, *1. Tim. V. 13.* Θηλαίαις γὰρ οἰκουρία καὶ ἔνδον μονή, *fœminis domus cura & intus manſio*, ut ait *Philo de Legibus.* Derivatur ab ὠρέω *Cuſtodio*, ὥρα *Cura*, *cuſtodia.* Hinc emblema Veneris, quæ teſtudinem premit pede, fœminas de οἰκουρία monens.

ἀγαθὰς) *bonas, beneficas*, πλήρεις ἀγαθῶν ἔργων. *Act. IX. 36.*

vſ. 7. Τύπον) *Signum eſt*, quod verberando imprimitur: hic eſt *exemplar*, quod imitandum proponitur. *Phil. III. 17. 1. Pet. V. 3.*

ἀδιαφθορία a. l. ἀφθορία) *eſt incorrupta integritas*, puritas illibata, ut ἄφθορον παρθένον, *illibata virgo.* Notatur igitur h. l. doctrina non temerata corruptionibus.

ἀφθαρσίαν) irrepſiſſe in textum videtur *Bezæ* & *Grotio.* Conjungit cum ἀδιαφθορίᾳ *Diod.* vertens *integrita incorrotta*: Gallus, *incorruption & integtité.* *Syrus* paulò aliter, *In doctrina ſit ſermo tuus ſanus*; qui ſit honeſtus & incorruptus; conjungens ita verſum ſeq. quod & *Vulg.* ex parte facit,

vſ. 8. λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον] *Sermonem ſanum, irreprehenſibilem*, ſeu *qui damnari non poſſit*, ut vertit *Piſcator*, ſcil: exhibe; ita explicans præcedentia; & intelligi poteſt vel de verbo Dei, vel de ejus interpretatione: illud ſanum eſt & irreprehenſibile; hæc talis eſſe debet, ut à nemine reprehendi aut damnari jure queat. *Rationem* addit ab eventu, confuſione adverſarii. Hanc enim notat vox ἐντρέπεσθαι *confundi* & ſic veluti everti· ὁ ἐξ ἐναντίας ſc. ὤν, qui adverſus eſt, *adverſarius*; ita ſc. ſolidè confutans, ſi nec in operibus & factis, nec in doctrina & dictis fidelium inveniatur, quod re-

pre-

prehendat, ad exemplum Chriſti, ad vitam ſuam & ſermonem ἀναμάρτητον provocantis *Ioh. VIII. 46.*

vſ. 9. δούλους] ſc. παρακαλεῖτω, *ſervos hortare.*

ἰδίοις δεσπόταις] *propriis heris*, qui ſuo ære aut opera illos ſibi compararunt.

ἐν πᾶσιν εὐαρέστους εἶναι] *in omnibus*, mandato Dei ac ſuperioris non adverſantibus, *placentes eſſe*; h. e. ad Dominorum placita ſe componant, ut illis accepti ſint.

vſ. 10. μὴ νοσφίζοντες) *non intervertentes*, ſubducentes clanculum quicquam: *ſed omnem bonam fidem oſtendentes*; in parvis & magnis, clam palàm, abſentibus præſentibus. Sic enim requirit bona fides debita dataque Dominis. conf. Act. V. 2.

ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν] *Ut doctrinam Serv. noſtri Dei ornent in omnibus*; Ut in omnibus ordinibus, rebus & actionibus appareat ſanctitas doctrinæ Chriſtianæ. Licèt enim ſanctæ doctrinæ imputari nequeat auditorum profanitas; tamen vita doctrinæ conformis & publicè conſpicua, optima doctrinæ commendatio eſt. quò Deus ipſe provocat Deut. IV. 6. 8. *quæ gens ſapiens & ſancta, quæ tam iuſta habet ſtatuta?* Hinc *gaudium & coronam ſuam* Philippenſes vocat Paulus Phil. IV. 1. *Quæ ſpes, aut gaudium, aut corona gloriationis noſtræ, nonne vos? &c.* 1. Theſſ. II. 19 20. ſcil: optima commendatio Doctoris ſunt boni diſcipuli; licet ſæpe pauci ſint. Matth. VII. 13, 14.

Subjicit jam Ap. rationem, quare omnis generis & conditionis hominibus pietatem commendare debeat? videl: quia jam gratia promiſcuè omnibus affulſerit.

vſ. 11. Ἐπεφάνη γὰρ] *Appuruit, Vulg.* Rectiùs alii *illuxit*, videl: tanquam aſtrum lucidum aut φωστῆρος, qui illuxit τοῖς ἐν σκότει Luc. I. 78. 79: Ita χάρις ἐν κόσμῳ dicitur φωτεινωθεῖσα, διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, 2. Tim. I. 10. 1. Tim.

III.

III. 16. & Eſ. LX. 2. *tenebræ operiunt terram & caligo gentes: ſed ſuper te exoritur Dominus, & gloria ejus illucescet ſuper te*; adde *Soph. II. 2. Illucescet Dominus ſuper illos & exſtirpabit omnes Deos gentium terræ & adorabit illum quisq; ex loco ſuo.*

χάρις σωτηρίος] *gratia ſalutifera*, ſalutem afferens mundo; σωτηρίας πρόξενος, illa gratia, quæ non umbras & terrorem, ſed veritatem & ſalutem attulit, ipſamque fidem ſalutis organon.

πᾶσι] Vulg. & Eraſm. *omnibus* Beza & Piſc. *quibusvis hominibus*; Judæis ſc. & gentibus, ſervis liberis, ſine diſtinctione nationis & conditionis. Hic ſimilesque loci anſam præbuere ſtatuendi *gratiam univerſalem* omnibus & ſingulis hominibus apertam ac oblatam; ſed ſine ſatis ſolido fundamento; quia particula πᾶς, *omnis*, non ſemper ſingula generum ſed ſæpe genera ſingulorum notat; puod ex ſcopo textus & natura rei dijudicandum. Ita quando *Matth. IV. 23. & X. 1.* Chriſtus dicitur *ſanaſſe omnem morbum* Luc. XI. 42. Phariſæi *omne olus decimaſſe* dicuntur; non poteſt intelligi de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum, quibuslibet morbis, quibuslibet oleribus. *Ita* 1. *Cor. X. 25. omne quod in macello venit* edite; h. e. quidvis, ſive carnes ſint ſive olera; ſive idolis immolata, ſive non; emite, edite ſine ſcrupulo. Ita & hîc, *gratia ſalutifera illuxit omnibus hominibus*, Ic. *1. Tim. II.* 1. hortor *fieri preces pro omnibus*; de omnibus & ſingulis accipi nequit: *primò* quia omnes & ſinguli nulli mortalium noti ſunt; quales ſint, utrum precibus digni, nec ne. *Deinde* quia Ap. ipſe vſ. 2. innuit, quòd genera hominum intellecta velit, addens; *pro regibus & in eminentia conſtitutis. Tertiò*, quia Johannes prohibet orare pro illis qui tenentur peccato in Spiritum S. *1. Joh. V. 16.* Ita & præſens hic locus non admittit aliam expoſitionem: quia *nec reipſa, nec deſtinatione divina* gratia ſalutifera omnibus & ſingulis hominibus illuxit. (1) *Non reipſa & facto.* quia Chriſtus nondum omnibus

bus & ſingulis innotuit, cùm & etiamnum plurimæ nationes ſint à Chriſti notitia penitus alienæ. (2) Nec etiam *deſtinatione divina. tum* quia Dei conſilium non poteſt fieri irritum. *Rom. IX. 6. Hebr. VI. 17: tum* quia non nativitas, ſed gratioſa electio facit filios promiſſionis, quibus ſolis deſtinata hæreditas. Rom. IX. 7. 8. ſeqq. Nam *electio* gratioſa *aſſecuta eſt, reliqui occulluerunt* Rom. XI. 7. *Denique* quia Chriſtus *ponit vitam & orat pro ovibus ſuis; pro iis quos Pater dedit ipſi, quibus dat vitam æternam, qui non pereunt, quos nemo rapit ex manu ipſius: non pro mundo, non pro iis qui non ſunt ex ovibus ipſius.* Joh. X. 11. 26. 28. 29. &c. Hi ſimilesque loci plurimi arguunt, non omnibus & ſingulis deſtinatione divina gratiam ſalutiferam illuxiſſe aut deſtinatam fuiſſe. *Vid. Theol. de Prædeſtin.*

vſ. 12. παιδεύουσα ἡμᾶς] *erudiens*, docens *nos*; *tum* per doctrinam Chriſti, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia & juſtitia; ac Apoſtolorum, qui doctrinam Chriſti uberiùs explicarunt; *tum* etiam ſuâ naturâ, quia Chriſtus redemit nos à mundo & reduxit ad Deum; mundus autem & Deus ſibi ſunt contrarii. *1. Joh. II. 10.* & *Filius Dei venit ut ſolvat opera Diaboli. ibid. v. 8. &c.*

ἀρνησάμενοι] *abnegantes*, ſeu poſtquam abnegavimus, non ore tantùm, ſed & facto ac opere, ita ut penitus renunciemus illis, μηδὲν πρὸς πούτους ἔχοντες, *nihil cum illis habentes negocii*, ut Chryſoſtomus explicat.

ἀσέβειαν, καὶ κοσμικὰς ἐπιθυμίας] Duos indicat fontes peccatorum, *impietatem*, excutientem Dei timorem; qui principium ſapientiæ & omnis boni; *& cupiditates mundanas*, quibus ad illicita abripitur mortalis: uti *Rom. I. 8.* peccatorum omnium fontes ſtatuuntur *impietas & injuſtitia* ex cupiditatibus profecta

σωφρόνως, δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν] *ſobriè* ſeu temperanter, *juſtè & piè vivamus*: reſpectu noſtri ſc: licèt ſoli ſimus;

reſpe-

respectu proximi, si cum illo nobis agendum; & denique respectu Dei, quem placatum pietas facit & filialis Divini Numinis reverentia. Ita in tribus istis adverbiis totam non tantùm Ethicam, verùm etiam universam Theologiam amplexus divina arte est Apostolus:

Hæc tria perpetuò meditare adverbia Pauli,
Et *sobriè, justè*, & vivere disce *piè*.

ἐν τῷ νῦν αἰῶνι] scil: ὄντι. *In presenti seculo.* Ita 2.Cor.VIII. 22. ἐν τῷ νῦν καιρῷ. cui opponitur עוֹלָם הַבָּא *seculum venturum*, seu futurum, αἰὼν ὁ μέλλων. Matth. XII. 32.

vſ.13. Μακαρίαν ἐλπίδα] h. e. *beatitudinem speratam.*

Ἐπιφάνειαν τῆς δόξης] Adventum gloriæ *Vulg:* propriè magis *Beza, illustrem illum adventum gloriæ*; & *Piscator*, *apparitionem gloriosam.* Uti prima Christi apparitio facta est in carne & humilitate; ita postrema erit in suprema gloria, quando ut judex universi, stipatus toto exercitu spirituum cœlestium, apparebit in nubibus cœli: quicquid temporis intercedit, fideli spe & exspectatione transigendum est.

τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν I. X.) *Magni illius Dei & Serv: nostri I.C.* Verba illa de uno subjecto loquuntur, ideoque & conjungenda, evidentissimo testimonio divinitatis Christi. Vid. & 1. Tim. I. 11. Quis enim est quem exspectat ecclesia appariturum in nubibus judicem mundi? Nónne Filius Dei Christus est, cui Pater dedit omne judicium? Joh. V. 22. Nónne oportet ipsum esse omnipotentem & omniscium, qui totum orbem judicaturus est, suscitabit mortuos & proferet in lucem etiam occulta tenebrarum, arbiter vitæ ac mortis sempiternæ; adeoque oportet ipsum esse *verum & magnum illum Deum. Hanc gloriam suam Deus alteri non dabit.* Esa. XLII. qui sc. non est magnus ille Deus. Frustra contranititur *Socinus*, & κόλοις *Hugonis Grotii.* Conf.

1. *Joh. V. 20. & celeberr. Coccejum*, ut & *Bez.* qui locum hunc vindicat contra Erasmum.

vſ. 14. Addit Ap. causam meritoriam salutiferæ hujus gratiæ, tantorumque inde manantium bonorum.

ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν) *Qui dedit semetipsum pro nobis* tanquam summus Sacerdos N. T. qui per proprium sanguinem ingredi debuit in Sanctum Sanctorum; ideoque non bruta animalia, sed semetipsum offerre debuit Deo, qui sanguine hircorum & vitulorum placari non potuit, nec voluit holocausta & victimas; sed Christo corpus aptavit. Ps. XL. 7. & Christus sponte se tradidit pro Ecclesia. Exemplum aliquod præbuit Moses, qui semetipsum obtulit *delendum de libro vitæ pro populo Exod. XXXII. 32.* Et Paulus *optans fieri ἀνάθεμα à Christo pro fratribus suis Rom. IX. 3.*

ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς] *Ut redimeret nos*, soluto sc. redemptionis precio: hoc enim est λυτρῶσις. *Vid. 1. Petr. I. 18. non argento aut auro* ἐλυτρώθητε, *redemti estis*, *sed precioso sanguine Christi*: unde Christus dicitur αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, *æternam redemtionem invenisse*, *Heb. IX. 12.* & *animam suam dedisse* λύτρον, *redemtionis precium Matth. XX. 28.*

ἀπὸ πάσης ἀνομίας) *ab omni iniquitate.* In V. T. quædam erant iniquitates, quæ victimis redimi non poterant, sed capite nocentis expiandæ erant, quorum dicitur *sanguis in capite ipsorum*; cùm aliàs peccata victimis imponi solebant, tanquam typis Christi: at Christi sanguis redemit fideles ab omnibus peccatis, quia precii est infiniti; & quidem à reatu & pœnâ propriè dictâ pariter.

καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον] *Et purificet sibi* magis magisque sanctificans per Spiritum suum ad suam gloriam, *populum peculiarem*; malè Vulg: *acceptabilem*: Rectiùs *Beza*, *Piscator aliique*: Diodati; *un populo acquistato in proprio*; i. e. populum acquisitum in proprietatem; & explicat: *chi fosse*

come il ſuo teſoro & giocello; qui ſit tanquam ſuus theſaurus & cimelium. Omnino reſpicit, uti ex Grotio notat Clariſſ. Coccejus verſionem τῶν LXX. *loci Exod. XIX.5.* וְהִיִּיתֶם לִי סְגֻלָּה מִכָּל־הָעַמִּים, *eritis mihi peculium ex omnibus populis*: ubi LXX. ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν. Ita & Deut. VII.6. XIV.2. XXVI.18. Ita Pſalm: CXXXV.4. Deus dicitur elegiſſe Iſraëlem לְסְגֻלָּתוֹ, *in peculium ſuum*, tanquam eximium præ omnibus aliis. Adeoque περιούσιος non notat *præſtantem*, ut vult *Grotius*; ſed, aliquid quod ſervatur in decus, ſplendorem, ad magnificentiam, *ut ait Coccej.* λαὸς εἰς περιποίησιν, 1. Pet. II.9. quod *populo d' acquiſito*, populum acquiſitionis & peculiariter ſibi ſervatum vertit *Diodati*.

ζηλωτὴν καλῶν ἔργων] Bez. *accenſum ſtudio*, Piſc. *ſtudioſum bonorum operum*, nimis tenuiter Vulg: *ſectatorem bonorum operum*. Addit Syrus: *qui ſtudioſè ſectaretur bona opera*. Omnino hoc par eſt, ut ille populus, quem tanto precio Chriſtus redemit, & purificavit ſibi, ac repoſuit tanquam precioſam gemmam, ut ille inquam, fervidus ſit ac zeloſus in ſtudio bonorum operum præ cunctis aliis; ſecus enim Chriſtus fruſtra tantùm pro illo laboraſſet, & tanquam rarum & eximium ſibi repoſuiſſet. Vid. *Eſa. LXII.3.*

vſ.15. ταῦτα λάλει, καὶ παρακάλει, καὶ ἔλεγχε] *hæc loquere*, ordinariè docens; *hæc hortare* crebrò inculcans; & *redargue* falſa refutans & mala vituperans.

Μετὰ πάσης ἐπιταγῆς] *Cum omni præceptione* ſeu auctoritate, tanquam Chriſti nomine loquens, qualis ratio docendi hic apud nationem refractariam neceſſaria erat. Idcirco addit: Μηδείς σε περιφρονείτω] *Nemo te deſpiciat*: non jubet ſuperbiam, ſed aſſertionem divinæ autoritatis in obeundo & exſequendo munere ſacro; quod non hominem, ſed Deum autorem habebat. Injurii ſunt in ſe & in Deum, qui in negocio ſancto nimis abjecti aut trepidi ſunt; ut & vicever-

ſa, qui propriæ vanitati, prætextu cauſæ Dei velificantur. Vid. Eſa. XLIX.2. LVIII.1. & viciſſim Eſa. XLII.2. 2.Cor. IV.7.

CAP. III.

Caput hoc habet monita diverſa, generalia, ſpecialia. Vid. Analyſin.

vſ.1. ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις] *principatibus & poteſtatibus*; gemino hoc vocabulo exprimit principes & magiſtratus omnis generis, ſuperiores, inferiores. Ita & *Luc. XII.11. Col. II.10. Eph. III.10.* quemadmodum aliàs alterutro, utrique exprimuntur. *Rom. XIII.3. Matth. VIII.9.* Neceſſarium erat hoc monitum illo tempore, ubi ſubditi & ſervi prætextu libertatis Chriſtianæ imperia detrectabant; uti ſuperiori ſeculo Anabaptiſtæ. Hinc vult illos ὑποτάσσεσθαι καὶ πειθαρχεῖν] *ſubjici*, hoc eſt agnoſcere ſe aliorum imperio ſubjectos; & *obedire*, ſponte præſtare obedientiam. Prius neceſſitatis, poſterius hoc voluntatis eſt & obſequii ſpontanei. *vid. Pſ. CX.* Tantò gratior eſt obedientia, quantò liberior. ibid.

vſ.2. Μηδένα βλασφημεῖν) *neminem blasphemare*, *ut Vulgatus*. Propriè blasphemia fertur in Deum; hîc verò præcepta ſunt ſecundæ tabulæ; adeoque rectiùs *Beza*, *Piſcator*, *nemini maledicere*, aut obtrectare, ὑβρίζειν. quod illorum eſt, qui quidem obedientiam non detrectant, attamen actiones magiſtratus & aliorum ſugillant & cavillantur.

Ἀμάχους εἶναι, non *litigioſos eſſe*: potiùs; *non pugnaces eſſe*; neque verbis, neque factis.

Ἐπιεικεῖς) *modeſtos Vulg:* potiùs, *moderatos pronos ad cedendum*. Eſt enim ab εἴκω cedo; adeoque notat illum, qui & cedere de ſuo jure paratus eſt. Eſt enim ἐπιείκεια illa virtus, quæ conſiſtit in in συγκαταβάσει, & τῷ ἀκριβοδικαίῳ ſeu rigori nimio opponitur: quale ſummum jus urgentes ubique, maximè injurii ſunt. Multa enim exigit virtus, multoma-

gis Chriſtiana, quæ Lex & ſtrictum jus ignorat; nec omnia quæ juſta, illico & æqua ſunt, multò minùs illa, quæ cavillatione & ſubtili Legum detorſione etiam per ſententiam decepti judicis obtinemus, quod Advocatis & litigantibus notandum.

vſ. 3. Reddit rationem, à priſtina noſtra conditione ante converſionem, ubi æquè opus habuimus aliorum æquanimitate.

ſυγετοὶ) *odibiles* reddit Vulg. rectiùs, *odioſi*, odio Dei bonorumq; omnium digni. Graviſſima ſcelera ſunt, quæ exoſas reddunt perſonas; cùm contrà ex infirmitate commiſſi errores miſericordiam mereantur.

vſ. 4. Huic opponit felicem ſtatum noſtrum præſentem, qui ad omnem virtutem incitamento eſſe debet.

χρηſότης ἡ φιλανθρωπία] *bonitas Dei & amor erga homines*, fons eſt omnis noſtræ felicitatis. χρηſότης naturalis Dei ad benefaciendum inclinatio eſt, Hebr. חֶסֶד. φιλανθρωπία inſuper notat propenſionem & amorem erga hominem, quem paſſim inculcat Scriptura. *Pſal. VIII. 5. Prov. VIII. 31.* Ut enim divina bonitas quicquid eſt boni & perfectionis in creatura corporea & ſpirituali, in homine tanquam μικροκόσμῳ conjunxit, & unigenitum Filium ſuum ſuo tempore humânam naturam aſſumere voluit; ita ſingulari propenſione ac amore fertur in genus humanum, illudque fovet multa indulgentia ac benignitate, & ex illo aſſumit ſibi filios ac cœli hæredes. Hinc *ſapientia æterna dicitur delicias habere in filiis hominum. Prov. VIII. 31.*

ἐπεφάνη) *apparuit, illuxit*, Vid. Supr. *Cap. II. vſ. 11.* Semper fruitur divina bonitate mortale genus; at in Chriſto fidelibus illa illuſtri maximè exemplo effulſit. τοῦ σωτῆρος ἡμῶν) *Servatoris noſtri*, qui ſervavit nos per Chriſtum, quem ipſe nobis dedit mediatorem.

vſ. 5. οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ) h. e. δικαίων, *non ex operibus in juſtitia*, h. e. juſtis; *non ex operibus juſtitiæ, Syrus, quæ nos fecerimus* moralibus, cerimonialibus, in quocunque etiam ſtatu, ſive ante ſive poſt regenerationem. Nihil ex, aut in nobis eſt, quod movit Deum ad nos amandum. Evidens teſtimonium adverſus prævisionem operum; aut quicquam in nobis, quod Deus reſpexerit in negocio ſalutis noſtræ.

ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς) *ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſervavit nos.* Hic fons ſalutis noſtræ, divina miſericordia, qua motus Deus ſenſu miſeriæ noſtræ, ipſe ſalvavit nos, & ordinavit media, ſola ipſius virtute efficaciter nos ducentia ad ſalutem: uti innuunt ſeqq.

διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας) *per lavacrum regenerationis.* Baptismum indigitat, alludens ad infantum recens in lucem editorum ablutionem à ſordibus maternis. Ita & fideles eorumque liberi ad novam vitam renati, tinguntur aquâ Baptismi ad remiſſionem peccatorum ſordiumq; naturæ noſtræ inhærentium. *1. Petr. II. 21.*

καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου) & *per renovationem Spiritus ſancti*; hoc eſt, ait *Beza*; *quam præſtat & efficit Spiritus ſanctus*, qui corruptam naturam noſtram regenerat & magis magisque novam vitam in nobis reformat: adeò verum hoc eſt, quòd non per ulla noſtra opera, ſed per ſolam *Dei miſericordiam ſalvamur.*

vſ. 6. οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ἰησ. χρ. τοῦ σωτ. ἡμ.) *quem effudit ſuper nos copioſè, per Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum.*) *Effudit largiter, copioſè*, & pluribus, & largiùs, quam olim in V. T. ubi paucioribus & parciùs, hic in N. T. pleno alveo dona Spiritûs effunduntur. uti paſſim per Prophetas promiſſum erat; *Vid. Eſa. XLIV. 3. 4. 5. Joel. II. 28. Zach. XII. 10. quod impletum vide per Chriſtum Act. II. 17.* Hic Spiritus eſt, qui deſertum gentilitatis vertit in frugiferam; re-

plens Ecclesiam ex Judæis et gentibus collectam variis donis Spiritùs, de quibus vide *2. Cor. XIII. & XIV. Gal. V. 22. seqq.* Et hoc factum est *per Jesum Christum Servatorem*, qui non tantùm liberavit ac redemit nos à potestate Diaboli & peccati, verùm etiam vivificavit Ecclesiam per Spiritum suum &c.

vſ.7. *Ut justificati, ipsius gratia heredes efficeremur vitæ æternæ*) Finis ulterior hic est, ubi notetur, quòd justificationem nostram unicè tribuit gratiæ, & gratuitæ hæreditati. Adeò dignitatem omnem & meritum hominis à justificatione ac salute excludit. Juxta talia dicta evidentia explicanda sunt illa, quæ operibus nostris mercedem tribuere videntur; nempe illam esse gratuitam, non meritam. conf. *Rom. VI. 23. Ephes. II. 8.*

vſ.8. πιστὸς ὁ λόγος) *fidelis hic sermo est Vulg: Certus Beza;* נֶאֱמָן הַדָּבָר הַזֶּה, cui tutò credi potest. *Conf. 1. Tim. I. 15. &c. IV. 9. 2. Tim. II. 11.* ἀξιόπιστος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι) *& de his volo te confirmari*; Vulg. Clariùs Bez. & *hæc volo te asseverare*; Syrus, *ut ita confirmes illos.* διαβεβαιούμενος περὶ τῶν πραγμάτων, *asseverans de negotiis, Plut. in Fab. Grot.* μετὰ βεβαιώσεως λέγειν. Hoc igitur vult, ut & ipse certus sit & asseveranter hæc doceat tanquam verba veritatis. Ita enim decet doctorem veritatis. Ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες τῷ θεῷ, *ut curent bonis operibus præesse*, Vulg. *bene agendo præesse*, Bez. vult scil. ut studiosè ac cum cura hoc enim est φροντίζειν (Sorge dragen / Belgæ) suo exemplo præeant doctores, & reliqui fideles. Ταῦτά ἐστι τὰ καλὰ καὶ ὠφέλιμα τῶν ἀνθρ.) *hæc illa sunt bona*, pulchra, honesta *& utilia hominibus*; ita implebunt officii sui partes, & sibimetipsis consulent.

vſ.9. Addit monita specialia ad Titum, de vitandis quæstionibus vanis & hæreticis.

Μωρὰς δὲ ζητήσεις) *stultas quæstiones, 2. Tim. II. 23.* addit, ἀπαι-

παιδεύτους *indoctas*, stultum est illud, quod ad nullum tendit scopum & nullum habet usum, sed tantùm spectat ad terendum tempus aut ostentandum ingenium: quales quæstiones plurimæ sunt apud *Scholasticos*: quæ licèt subtiles videantur, revera tamen & stultæ & imperitæ sunt: quia abludunt à scopo sanæ doctrinæ & à vera fruge; quæ est ædificatio in fide & charitate. *At si cui non adsint illa necessaria cœcus est & nihil procul cernens*, non videns illa quæ ad salutem ipsius spectant, *ut Petrus loquitur 2. Epist. I. vſ.9.* Addit Paulus καὶ γενεαλογίας καὶ ἔριδας, καὶ μάχας νομικὰς παιτοῦσι) *genealogias*, seu familiarum supputationes, *& contentiones & pugnas legales, devita, Vulgatus*; rectiùs Bez. *cohibe*, seu omitte, declina. Talibus quæstionibus, non de genuino sensu, aut momentis & *gravioribus* articulis *Legis de judicio & misericordia & fide Matth. XXIII. 23.* sed de rebus curiosis & nullam utilitatem habentibus, plena sunt commentaria Rabbinorum, qui ita neglecto nucleo Scripturæ Christo, in cortice & superficialibus operosi sunt: maximè verò vanæ sunt ipsorum genealogiæ, posquam Messias natus & in mundo recognitus est, propter quem unicè familiarum rationem haberi voluit Deus. Illo exhibito, uti genealogiæ in templo asservatæ conflagrarunt in conflagratione templi sub Vespasiano, ita incertæ jam & inutiles sunt; ipsa regia familia Davidis, unde Messias proditurus erat, jam tum tempore Christi, propemodum ad incitas redacta, adeò ut regiæ prosapiæ virgo, fabro desponsata fuerit. vid. *Matth. I. & Luc. III.* Et hoc innuit hic Paulus addens. εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς καὶ μάταιοι) *sunt enim inutiles & vanæ*; videl. propter Messiam jam exhibitum, & documenta exusta & abolita; & quia non vult Deus, nos gloriari in carne.

vſ.10. Αἱρετικὸν ἄνθρ. μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ) *hæreticum hominem, post unam ac alteram admonitionem*, (*correptionem devita* Vulg.) *Repelle, Beza.* παραιτεῖσθαι *est cum ex-*

cuſatione detrectare alicujus colloquium, ut ait *Cl. Coccejus.* alibi ἐκκλίνειν, ἀφίστασθαι. Ceterum *hæreticum* dicit, non quacunque in re diſſentientem, aliis formulis & verbis utentem, quæ ſine periculo ſunt aut ſuſpicione juſta; ſed qui fundamenta fidei aut pietatis convellit; idque pertinaciter, etiam ſæpiora aliquoties & quidem privatim monitus & edoctus, ita ut menti ipſius error repræſentatus & propoſitus ſit: hoc enim eſt propriè νουθετῶν: hunc talem vult Apoſtolos *vitari*, *declinari*, *repelli*. Latiùs & vox αἵρεσις ſumitur, pro ſecta qualibet. *Act. V. 17. XXIV. 5. XXVI. 5. &c.*

vſ. 11. Rationem moniti addit: εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος) *ſciens quia ſubverſus eſt, qui eiusmodi eſt.* Vulg. *everſum eſſe eum*, *Beza.* מעקם *perverſus* reddit Syrus *Everſus eſt hujusmodi* talis, proſtratus & victus à Diabolo, & avulſus à fundamento Chriſto & Apoſtolorum; in quod humana ope reſtitui non poteſt. ἐξεστραμμένος ἐστὶ) *perverſus mente* & averſus *à veritate.* καὶ ἁμαρτάνει] *& peccat*, plena voluntate & ſtudio, confer *1. Joh. III. 6. 8. 9.* ubi itidem de peccato, quod ſtudio & dedita opera ac pertinaciter fit, ſermo eſt: ὢν αὐτοκατάκριτος) *proprio judicio damnatus*; יחב נפשה hoc eſt, *condemnat ſemetipſum.* Plus eſt, quam ἀναπολόγητος *Rom. I. 20. II.* Hic enim eſt, qui excuſationem non habet, nihil quod peccato prætexat; qui tamen adhuc de gravitate & momento peccati dubitare poteſt: ille verò eſt, qui in conſcientia convictus & de peccato, errore & de pondere, ſemetipſum condemnare cogitur: qui & ἀδόκιμος dicitur, *2. Cor. XIII. 5. 2. Tim. III. 8.* cujus tamen hic character videtur, quòd mentem ſani judicii expertem, & diſcrimina honeſtorum & turpium confundentem habet.

vſ. 12. Concluſio hìc eſt familiaris.

εἰς Νικόπολιν) Ejus nominis urbs, fuit in Epiro, in Bithynia, & in Armenia, & Thracia de quibus vide *Stephan. de Urbib.*

Urbib. Hanc olim *Ambraciam* dictam fuiſſe notant interpretes, Macedoniæ urbem ut habet ſubſcriptio: quæ ut aliàs *ſæpe*, ita & hìc fallit, uti patet ex collatione cum hoc verſu.

vſ. 13. τὸν νομικὸν) *Legis peritum*, ſive juris Romani, ſive Judaici ac divini peritus fuerit. *vid. Matth. XXII. 35. Luc. VII. 30. &c.*

προπέμψον) *præmitte* Vulg. *Deducendos curato*, rectiùs *Bez.* hoc enim eſt προπέμπειν: unde et *Syrus*, *deducas*; eſt etiam *comitari.* Hìc igitur vult, ut neceſſariis ad iter illos inſtruat. Officium hoc erat Epiſcopi, proſpicere neceſſitatibus Eccleſiæ & Miniſtrorum ejus.

οἱ ἡμέτεροι) *noſtrates*, h. e. noſtri ordinis homines, vel noſtræ fidei addicti.

vſ. 14. καλῶν ἔργων προΐστασθαι) *bonis operibus præire*, εἰς ἀναγκαίας χρείας) *ad neceſſarios uſus*, ad illa quæ nobis ad vitam hanc neceſſaria ſunt, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι) *ne ſint infructuoſi*, ſteriles, quales ſunt illi, qui ſibi ſolùm vivunt, parùm ſolliciti de aliis, & de illa in qua vivunt ſocietate, qui ſimiles ſunt illis de quibus Apoſtolus *Judas*, vocans illos νεφέλας ἀνύδρους, δένδρα φθινοπωρινὰ, ἄκαρπα; *Jud. 12.* quales non vult eſſe Chriſtianos, multò minùs illorum doctores & Antiſtites.

vſ. 15. οἱ φιλοῦντες ἡμᾶς ἐν πίστει) *qui diligunt nos in fide*, amore fideli & ſancto, quia & illi & nos per fidem Chriſti membra adeoque fratres ſumus: qualis amor ſolus verus & conſtans eſt, fundatus in vero pulchro & vero bono.

Ad Præstantiss. Dn. Respondentem Præses.

QUæ Paulus Tito tradit præcepta docendi,
Hæc tibi sint vitæ regula sancta tuæ,
Sic vives semper *castè, iustéq, pieq,*,
Sicq; docens alios cœlica regna coles.
Cœlica regna colens, vide quæ tibi messis in herba:
Spes viva, ætherei & celsa corona poli.
Captent queis labor hic, fluxas pro more corollas:
Non labor in Domini messe caducus erit.

Paræneſis gratulatoria

Ad Ornatiss: Dn. Respond. Consobrinum chariss.

TIngunt tinctores lanarum fila colore,
Tincturámq; libens, quæ bona lana, bibit.
Tincturam sacram bene Tu, FARVERE, bibisti,
Inde alios tingas ipse colore Sacro.
O si, quod tibi Paulus erat, Tite, fiat idipsum
Huic nostro Præses, quam probus (euge) foret.

Didericí Sagittarii P. P. & Pædag.

NIl tibi cum Titio; fœtet Sempronius: Unus
Cum Paulo Titus (quem sequor ipse) placet.

Pauculum hoc gratulabundè deproperabam
S. S.

AUdes in Titum quid dicere? Nil nisi vera
Divinus Paulus scripsit, Amice, cave.

Blasius Reuter.

Defendentis honori.

SI certa audentes sequitur victoria: Quidni
Audenti nostro Laurea certa fiet?

Ita G. H. Br.

K[redacted]

Sok-

[redacted]

Aliud.

FErvet & exultat Titan arque aura Favoni,
Fervet FARVERI gloria laúsque magis.
Fervet & ex pelagi fundo jam fervidus aëi,
Fervent hîc dotes ingenui Juvenis.
Fervet & ob magnum jam torrida terra calorem,
Ferveat hicce solo, ferveat inque polo.

Andreas Jovedetsi Transylv.

Didericus Farverus

κατ' ἀνάγρ. (v in e verso)

I, refer à duris decus.

evolutio

CArmen, AMICE, petis. carmen petis? optime, miror.
In nostris Phœbus non, DIDERICE, micat.
Parce, peto. Si digna cupis TE carmina scribi;
Plenum Phœbæo numine pectus adi.
Parce, inquam. Si docta modò, FARVERE, probabis,
Sin minus: Adfectum, dic, probo amoque Tuum.
In laudes non surgo Tuas, sum nullus, et istas
Dicere, da veniam, vix satis ipse potes.
TE sublimem iterum cathedram scandente venire
Gaudet in amplexus ipsus Apollo Tuos.
Fortunate satis! stygio perfusa veneno
Somnia derides, dogmata falsa notas,

Nil

Nil juvat heic *duros* nunc perstrinxisse labores:
Nil juvat heic studium commemorasse tuum.
Sunt ea nota satis. Virtus Sudore paratur.
I, refer à duris, nunc DIDERICE, *decus*.
I Sophiæ cultor cultissime, nam Tua laudat,
Doctrinam quisquis cum pietate colit.

Amico amicissimo p. Johannes Georgius Vosdingius Tekeleburgens.

Didericus Farver Bremensis Saxo.
Anagramma. f. in v. mutato.
En ergo duras sub me si diruis arces.
Epigramma.

DUm quatit horrisonis Bellona furoribus Orbem,
Emicat & totis Martius ensis agris.
En ergo duras sub me si diruis arces,
Mars ait, & latè sanguine tingis humum,
En aurum, laurumque Tuis promittimus ausis,
En meritis referent arma perenne decus!
Farverus regerit: frustra, Mars improbe, signis,
Meque jubes castris æra merere Tuis.
Bella quidem puero teneris placuêre sub annis;
Bella placent, ipso bella gerente Deo.
Ærea sit Domini, quam vibro, lancea Verbum;
Justitiæ cingant arma decora latus.
Læsibilis nullâ mihi pectus arundine thorax
Firmet, me fidei cassis & umbo tegat.
Contra præstigias sic pugnans Orbis & Orci,
Et contra proprii corporis illecebras,
Non deerunt, spero forti victoria pugnæ:
Victori tribuet præmia digna Polus.
O utinam Tecum totus sic diceret Orbis!
Mars Pax, Rex noster Lex foret ipsa Dei.

I. Berens. Brem:

EN rursus scandis summa cum laude cathedram
Atque doces iterum dogmata vera Dei.
Assistat tibi Jova precor, qui cæpta secundet
Præmia ut ex tanto justa labore feras.

Sic
H. S.

FINIS.